

Textos de Cicerón sobre la amistad

1. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est. Nunc de eo, in quo utilitas quoque adiungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quae nos cum dignitate tum quoque fructu suo ducunt; quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude; dignitas est alicuius honesta et cultu et honore et verecundia digna auctoritas; amplitudo potentiae aut maiestatis aut aliquarum copiarum magna abundantia; amicitia voluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipsius causa, quem diligit, cum eius pari voluntate. Hic, quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adiungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur; ne forte, qui nos de omni amicitia dicere existimant, reprehendere incipiant. Quamquam sunt qui propter utilitatem modo petendam putant amicitiam; sunt qui propter se solum; sunt qui propter se et utilitatem. Quorum quid verissime constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam esse expetendam. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim sunt religionibus iunctae, partim non sunt, et quia partim veteres sunt, partim novae, partim ab illorum, partim ab nostro beneficio profectae, partim utiliores, partim minus utiles, ex causarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex vetustatibus habebitur. (*De inventione*, 2, 166-168). Ed. por E. H. Warmington, Loeb Classical Library, London, Heinemann- Cambridge Mass. Harvard University Press, 1968.

2. FANNIUS. Istuc quidem, Laeli, ita necesse est. Sed, quoniam amicitiae mentionem fecisti et sumus otiosi, pergratum mihi feceris, spero item Scaevolae, si, quem ad modum soles de ceteris rebus, quom ex te quaeruntur, sic de amicitia disputaris quid sentias, qualem existimes, quae praecepta des.

SCAEVOLA. Mihi vero erit gratum; atque id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevortit. Quam ob rem utrique nostrum gratum admodum feceris.

(17) LAELIUS. Ego vero non gravarer, si mihi ipse confiderem; nam et praeclara res est, et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum, aut quae est in me facultas? doctorum est ista consuetudo, eaque Graecorum, ut Eis ponatur, de quo disputent quamvis subito; magnum opus est egetque exercitatione non parva. Quamobrem, quae disputari de amicitia possunt, ab eis censeo petatis qui ista profitentur; ego vos hortari tantum possum ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis; nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas.

(18) Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. Neque id ad vivum reseco, ut illi qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum; negant enim quemquam esse virum bonum nisi sapientem. Sit ita sane; sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus, nos autem ea quae sunt in usu vitaeque communi, non ea quae finguntur aut optantur spectare debemus. Numquam ego dicam C. Fabricium, M'. Curium, Ti. Coruncanium, quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum : concedant ut viri boni fuerint. Ne id quidem facient ; negabunt id nisi sapienti posse concedi. (19) Agamus igitur pingui, ut aiunt, Minerva : qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides integritas aequitas liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas libido audacia, sintque magna constantia, ut ei fuerunt, modo quos nominavi, hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quia sequantur, quantum homines possunt naturam optimam bene vivendi ducem.

Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam, maior autem ut quisque proxime accederet ; itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni; cum his enim amicitiam natura ipsa peperit. Sed ea non satis habet firmitatis ; namque hoc praestat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benivolentia tolli potest, ex amicitia non potest; sublata enim benivolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. (20) Quanta autem vis amicitiae sit, ex hoc intellegi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur.

Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benivolentia et caritate consensio; qua quidem haut scio an excepta sapientia nihil melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valitudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates: beluarum hoc quidem extremum ; illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. (21) Iam virtutem ex consuetudine vitae sermonisque nostri interpretemur, nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur, virosque bonos eos qui habentur numeremus: Paulos, Catones, Galos, Scipiones, Philos. His communis vita contenta est, eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur.

Talis igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet quantas vix queo dicere. (22) Principio qui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, quae non in amici mutua benevolentia conquiescit? Quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? Qui esset tantus fructus in prosperis rebus nisi haberes qui illis aequae ac tu ipse gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo qui illas gravius etiam quam tu ferret. Denique ceterae res quae expetuntur oportunae sunt singulae rebus fere singulis : divitiae ut utare, opes ut colare, honores ut laudare, voluptates ut gaudeas, validudo ut dolore careas et muneribus fungere corporis. Amicitia res plurimas continet, quoquo te verteris praesto est, nullo loco excluditur, numquam intempestiva, numquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, locis pluribus utimur quam amicitia, neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur fuit. Nam et secundas res splendiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores. (23) Cumque plurimas et maximas commoditates amicitia continet, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bona spe praelucet in posterum, nec debilitari animos aut cadere patitur. Verum enim amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt, et egentes abundant et imbecilli valent et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt : tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum, ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex rerum natura benevolentiae iunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intellegitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque discordiis perspici potest. Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis et discidiis funditus possit everti? Ex quo quantum boni sit in amicitia iudicari potest. (24) Agrigentinum quidem doctum quendam virum carminibus Graecis vaticinatum ferunt, quae in rerum natura totoque mundo constarent quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam.

Atque hoc quidem omnes mortales et intellegunt et re probant. Itaque si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei Marci Pacuvi nova fabula! cum ignorante rege uter Orestes esset, Pylades Orestem se esse diceret ut pro illo necaretur, Orestes autem ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta : quid arbitramur in vera facturos fuisse? Facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent.

Hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem potuisse dicere : si qua praeterea sunt (credo autem esse multa), ab eis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote.

(25) FANNIUS. Nos autem a te potius; quamquam etiam ab istis saepe quaesivi et audivi non invitus equidem; sed aliud quoddam filum orationis tuae.

SCAEVOLA. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de republica disputatum, adfuisses : qualis tum patronus iustitiae fuit contra accuratam orationem Phili!

FANNIUS. Facile id quidem fuit, iustitiam, iustissimo viro, defendere.

SCAEVOLA. Quid amicitiam ? nonne facile ei qui ob eam summa fide constantia iustitiaque servatam maxumam gloriam ceperit?

(26) LAELIUS. Vim hoc quidem est adferre ! Quid enim refert qua me ratione cogatis? cogitis certe ; Studiis enim generorum, praesertim in re bona, cum difficile est, tum ne aequum quidem obsistere.

Saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet, an esset hoc quidem proprium amicitiae, sed antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa. Amor enim, ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam coniungendam ; nam utilitates quidem etiam ab eis percipiuntur saepe qui simulatione amicitiae coluntur et observantur temporis causa ; in amicitia autem nihil fictum est, nihil simulatum, et quidquid est, id est verum et voluntarium. (27) Quapropter a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia, applicatione magis animi cum quodam sensu amandi quam cogitatione quantum illa res utilitatis esset habitura.

Quod quidem quale sit etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat ; quod in homine multo est evidentius, primum ex ea caritate quae est inter natos et parentes, quae dirimi nisi detestabili scelere non potest, deinde cum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. (28) Nihil est enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem etiam eos quos numquam vidimus quodam modo diligamus. Quis est qui C. Fabrici, M'. Curi non cum caritate aliqua benevola memoriam usurpet, quos numquam viderit? Quis autem est, qui Tarquinius Superbum, qui Sp. Cassium, Sp.

Maelium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia est decertatum, Pyrrho et Hannibale : ab altero propter probitatem eius non nimis alienos animos habemus, alterum propter crudelitatem semper haec civitas oderit. (29) Quod si tanta vis probitatis est ut eam vel in eis quos numquam vidimus, vel quod maius est in hoste etiam diligamus, quid mirum est si animi hominum moveantur, cum eorum quibuscum usu coniuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur?

Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto et studio perspecto et consuetudine adiuncta ; quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. Quam si qui putant ab imbecillitate proficisci, ut sit per quem adsequatur, quod quisque desideret, humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset, ut quisque minimum esse in se arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus; quod longe secus est ; (30) ut enim quisque sibi plurimum confidit, et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est ut nullo egeat, suaque omnia in se ipso posita iudicet, ita in amicitias expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim? Africanus indigens mei? Minime hercule, ac ne ego quidem illius; sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse nonnulla quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benevolentiam consuetudo ; sed quamquam utilitates multae et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe causae diligendi profectae. (31) Ut enim benefici liberalesque sumus non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium feneramur, sed natura propensi ad liberalitatem sumus), sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus.

(32) Ab his, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt ; nec mirum; nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus, ipsi autem intellegamus natura gigni sensum diligendi et benevolentiae caritatem, facta significatione probitatis. Quam qui appetiverunt, applicent se et propius admovent, ut et usu eius quem diligere coeperunt, fruantur et moribus, sintque pares in amore et aequales, propensioresque ad bene merendum quam ad reposcendum, atque haec inter eos sit honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maximae capientur, et erit eius ortus a natura quam ab imbecillitate gravior et verior. Nam si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret; sed quia

natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt. Ortum quidem amicitiae videtis, nisi quid ad haec forte vultis.

FANNIUS. Tu vero perge, Laeli; pro hoc enim, qui minor est natu, meo iure respondeo.

(33) SCAEVOLA. Recte tu quidem. Quamobrem audiamus.

LAELIUS. Audite vero, optimi viri, ea, quae saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur. Quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat quam amicitiam usque ad extremum vitae diem permanere, nam vel ut non idem expediret incidere saepe, vel ut de re publica non idem sentiretur; mutari etiam mores hominum saepe dicebat, alias adversis rebus, alias aetate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis, quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta toga ponerentur. (34) Sin autem ad adulescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione, vel uxoriae condicionis vel commodi alicuius quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia provecti essent, tamen saepe labefactari si in honoris contentionem incidissent; pestem enim nullam maiorem esse amicitiae quam in plerisque pecuniae cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen et gloriae, ex quo inimicitias maximas saepe inter amicissimos exstitisse. (35) Magna etiam discidia et plerumque iusta nasci, cum aliquid ab amicis quod rectum non esset postularetur, ut aut libidinis ministri aut adiutores essent ad iniuriam; quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, ius tamen amicitiae deserere arguerentur ab eis, quibus obsequi nollent. Illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri omnia se amici causa esse facturos; eorum querela non inveteratas modo familiaritates extinguere solere, sed odia etiam gigni sempiterna. Haec ita multa quasi fata inpendere amicitiae, ut omnia subterfugere non modo sapientiae sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

(36) Quamobrem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Numne si Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuerunt? Num Vecellinum amici, regnum adpetentem, num Maelium debuerunt iuvare? (37) Tiberium quidem Gracchum rem publicam vexantem a Q. Tuberone aequalibusque amicis derelictum videbamus; at C. Blossius Cumanus, hospes familiae vestrae, Scaevola, quom ad me (quod aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio) deprecatum venisset, hanc ut sibi ignoscerem causam adferebat, quod tanti Tiberium Gracchum fecisset ut quidquid ille vellet sibi faciendum putaret. Tum ego: 'Etiamne, si te in Capitolium faces ferre vellet?' 'Numquam', inquit, 'voluisset id quidem; sed si voluisset, paruissem.' Videtis quam nefaria vox! Et hercule ita fecit, vel plus

etiam quam dixit; non enim paruit ille Tiberii Gracchi temeritati, sed praefuit, nec se comitem illius furoris sed ducem praebuit. Itaque hac amentia, quaestione nova perterritus, in Asiam profugit, ad hostes se contulit, poenas rei publicae graves iustasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati si amici causa peccaveris; nam cum conciliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere si a virtute defeceris.

(38) Quod si rectum statuerimus vel concedere amicis quidquid velint, vel inpetrare ab eis, quidquid velimus, perfecta quidem sapientia si simus, si nihil habeat res viti. Sed loquimur de eis amicis qui ante oculos sunt, quos videmus aut de quibus memoria accepimus, quos novit vita communis; ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt, et eorum quidem maxime qui ad sapientiam proxime accedunt. (39) Videmus Papum Aemilium Luscino familiarem fuisse (sic a patribus accepimus), bis una consules, collegas in censura; tum et cum eis et inter se coniunctissimos fuisse Manium Curium, Tiberium Coruncanium memoriae proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus quemquam horum ab amico quidpiam contendisse quod contra fidem, contra ius iurandum, contra rem publicam esset. Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere, si contendisset impetraturum non fuisse, cum illi sanctissimi viri fuerint, aequae autem nefas sit tale aliquid et facere rogatum et rogare? At vero Tiberium Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato et minime tum quidem Gaius frater, nunc idem acerrimus. (40) Haec igitur lex in amicitia sanciat, ut neque rogemus res turpes nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est et minime accipienda, cum in ceteris peccatis, tum si quis contra rem publicam se amici causa fecisse fateatur. (*De amicitia*, 17- 40)

3.

(56) Constituendi autem sunt qui sint in amicitia fines et quasi termini deligendi. De quibus tres video sententias ferri, quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicum adfecti simus quo erga nosmet ipsos; alteram ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiae pariter aequaliterque respondeat; tertiam ut quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. (57) Harum trium sententiarum nulli prorsus adsentior. Nec enim illa prima vera est, ut quemadmodum in se quisque sit, sic in amicum sit animatus: quam multa enim, quae nostra causa numquam faceremus, facimus causa amicorum: precari ab indigno, supplicare, tum acerbius in aliquem invehi insectarique vehementius; quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime. Multaeque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt detrahi que patiuntur, ut eis amici potius quam ipsi fruuntur.

(58) Altera sententia est quae definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. Divitior mihi et affluentior videtur esse vera amicitia, nec observare restricte ne plus reddat quam acceperit; neque enim verendum est ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus aequo quid in amicitiam congeratur.

(59) Tertius vero ille finis deterrimus, ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Saepe enim in quibusdam aut animus abiectior est, aut spes amplificandae fortunae fractior. Non est igitur amici talem esse in eum qualis ille in se est, sed potius eniti et efficere ut amici iacentem animum excitet, inducatque spem cogitationemque meliorem.

Alius igitur finis verae amicitiae constituendus est, si prius quid maxime reprehendere Scipio solitus sit dixerit. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri, quam eius qui dixisset ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus; nec vero se adduci posse ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset unus e Septem; impuri cuiusdam aut ambitiosi aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit eius cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere et optare ut quam saepissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendum; rursum autem recte factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere.

(60) Quare hoc quidem praeceptum, cuiuscumque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius praecipendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiiis comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum quem aliquando odisse possemus. Quin etiam si minus felices in diligendo fuisset, ferendum id Scipio potius quam inimicitiarum tempus cogitandum putabat.

(61) His igitur finibus utendum arbitror, ut cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas; ut etiam si qua fortuna acciderit ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum de via sit, modo ne summa turpitudine sequatur. Est enim, quatenus amicitiae dari venia possit. Nec vero negligenda est fama, nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium; quam blanditiis et assentando colligere turpe est: virtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est.

(62) Sed --saepe enim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia-- querebatur quod omnibus in rebus homines diligentiores essent : capras et oves quot quisque haberet dicere posse, amicos quot haberet non posse dicere ; et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis neglegentes esse, nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos qui ad amicitias essent idonei iudicarent.

Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi, cuius generis est magna penuria. Et iudicare difficile est sane nisi expertum; experiendum autem est in ipsa amicitia. Ita praecurrit amicitia iudicium tollitque experiendi potestatem. (63) Est igitur prudentis sustinere ut currum, sic impetum benevolentiae, quo utamur quasi equis temptatis, sic amicitia ex aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur quam sint leves ; quidam autem, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin erunt aliqui reperti qui pecuniam praeferre amicitiae sordidum existiment, ubi eos inveniemus qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes, amicitiae non anteponant, ut cum ex altera parte proposita haec sint, ex altera ius amicitiae, non multo illa malint? Imbecilla enim est natura ad contemnendam potentiam; quam etiamsi neglecta amicitia consecuti sint, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia. (64) Itaque verae amicitiae difficillime reperiuntur in eis, qui in honoribus reque publica versantur; ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid haec ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates? Ad quas non est facile inventu qui descendant. Quamquam Ennius recte « Amicus certus in re incerta cernitur » tamen haec duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnunt, aut in malis deserunt. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro genere hominum iudicare debemus et paene divino.

(65) Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque est eius, quam in amicitia quaerimus, fides, nihil est enim stabile quod infidum est. Simplicem praeterea et communem et consentientem, id est qui rebus isdem moveatur, eligi par est, quae omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum, neque vero qui non eisdem rebus movetur naturaque consentit aut fidus aut stabilis potest esse. Addendum eodem est ut ne criminibus aut inferendis delectetur aut credat oblatis : quae pertinent omnia ad eam quam iam dudum tracto constantiam. Ita fit verum illud quod initio dixi : amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia: primum ne quid fictum sit neve simulatum (aperte enim vel odisse magis ingenui est quam fronte

occultare sententiam) ; deinde non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum semper aliquid existimantem ab amico esse violatum.

(66) Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae ; tristitia autem et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior. (*De amicitia*, 56-66) Edición de J. G. F. Powell, Oxford University Press, 2006.

4.

Maxime autem perturbantur officia in amicitiiis, quibus et non tribuere, quod recte possis et tribuere quod non sit aequum contra officium est. Sed huius generis totius breve et non difficile praeceptum est. Quae enim videntur utilia, honores divitiae voluptates, cetera generis eiusdem, haec amicitiae numquam anteponenda sunt. At neque contra rem publicam neque contra ius iurandum ac fidem amici causa vir bonus faciet, ne si iudex quidem erit de ipso amico; ponit enim personam amici cum induit iudicis. Tantum dabit amicitiae ut veram amici causam esse malit, ut orandae litis tempus, quoad per leges liceat, accomodet. Cum vero iurato sententia dicenda est, meminerit deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius. Itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis, si eum teneremus, QUAE SALVA FIDE FACERE POSSIT. Haec rogatio ad ea pertinet quae paulo ante dixi honeste amico a iudice posse concedi. Nam si omnia facienda sint quae amici velint, non amicitiae tales sed coniurationes putandae sint. Loquor autem de communibus amicitiiis; nam in sapientibus viris perfectisque nihil potest esse tale. Damonem et Phintiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset et is qui morti addictus esset paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus sit alter eius sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petivit ut se ad amicitiam tertium ascriberent. Cum igitur id quod utile videtur in amicitia cum eo quod honestum est comparatur, iaceat utilitatis species, valeat honestas. Cum autem in amicitia, quae honesta non sunt postulabuntur, religio et fides anteponatur amicitiae : sic habebitur is quem exquirimus dilectus officii. (*De officiis*, 3, 43-46). Ed. de M. Winterbotton, Oxford University Press 1994.

5

Vos autem quid mali datis, cum <in> inbecillitate gratificationem et benivolentiam ponitis ! Ut enim omittam vim et naturam deorum, ne homines quidem censetis, nisi inbecilli essent, futuros beneficos et benignos fuisse? nulla est caritas naturalis inter bonos? Carum ipsum verbum est amoris, ex quo amicitiae nomen est ductum; quam si ad fructum nostrum referemus non ad illius commoda quem diligimus, non erit ista amicitia sed mercatura quaedam utilitatum suarum. Prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex iis capiuntur, hominum caritas et amicitia gratuita est; quanto igitur magis deorum, qui nulla re egentes et inter se diligunt et hominibus consulunt. Quod ni ita est, quid veneramur quid precamur deos, cur sacris pontifices cur auspiciis augures praesunt, quid optamus a deis immortalibus, quid vovemus?

(*De natura deorum* 1, 122) Ed. G. P. Gold, Loeb Classical Library, London, Heinemann- Cambridge Mass., Harvard University Press, 1979.